



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et  
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

**Paullini, Christian Franz**

**Francofvrti ad Moenvm, 1698**

Ad Nobilem Et Generosum D[omi]num Georgivm, Comitem De Templi  
Monte, Dominum & Benefactorem meum Gratosum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44860**

AD NOBILEM ET GENEROSUM

DNUM

**GEORGIUM,**

COMITEM DE TEMPLI MONTE,

*Dominum & Benefactorem meum Gratiostum.*

**D**Evotas preces cum parata ad omnia beneplacita voluntate. Et si Vetustissima & Incluta semper fuerit Generosa Familia Vestra, Nob. & Generose Domine Comes GEORGI, nullum tamen ego vidi, qui descripscerit Eam. Vel si factum est, jacet scriptum in angulo tenebricoso, pro murium delectamento, seu ignis, bellum, vel aliud infortunium id nobis eripuit. Saltem Vobis nihil de eo constat. Quapropter quæ antea in tumultuariis collectaneis meis partim ex aliorum chronicis, partim ex literis, quas hic & alibi vidi & perlegi, congeseram, nunc in ordinem aliqualem redigi, & *Breviloquium hoc*, seu Chronica inde componere, & V<sup>a</sup>. Generositati humili & obsequioso animo mittere volui. Est enim non meus tantum, sed totius monasterii nostri Patronus & benefactor specialis. Totus ego credo, omnes Comites *Templimontanos*, ubi etiam in Germania sunt, è *Doringia* esse. Postea vel per occasionem belli, seu per matrimonia, vel alia de causa, alibi sedes & domicilia sua posuerunt, in memoriam tamen veteris suæ sedis ad *Salam* in Doringia, etiā aliis in locis castra sua nominarunt *Kerchberg*. Interim Deum rogabimus omnes, ut V<sup>a</sup>. Generositas diu prospera & incolumis sit, & tandem à terrenis & caducis ad sublimiora & æterna gaudia beatè transferatur, per Dominum nostrum J E S U M Christum, qui vivit & regnat in secula seculorum Amen.

L. B. S. P.

**S**crysit Paullus Götze, (qui se Jovium vocabat, idque nomen cum celebri Historico Italo Paullo Jovio commune sibi fecerat,) Scholæ Ebelebiensis in Comitatu Schwarzburgico circa exordium hujus seculi adhuc Rector, patrio sermone non modò chronicon *Schwarzburgicum*, *Glichense* & *Honsteinense*, sed etiam *Kirchbergicum*. *Schwarzburgicum* omnium maximum est, binis Tomis in folio comprénsum. Reliqua minora sunt, & in forma 4t. scripta, duorum triumvē circiter alphabetorum. Substitit in singulis circa ortū hujus seculi, nunc ad exodus labentis. Quæ rariora MSta in archivo Illustrissimi & Curiosissimi Comitis Schwarzburgico-Arnstadiensis adhuc cubant. E *Kirchbergico* Amicus meus honorandus Dn. *Tenzelius* Historic. Ducal. Saxon., mecum communicavit bullam *Albertinam*, (a) in fine appendicis subnexam. D. *Casp. Sagittar.*, Hist. PP. in Illustri Acad. Salana, etiam spoponderat nobis chron. *Kirchbergicum*. (b) Verum an perfecerit, dubito. Ipsemet ego aliquot abhinc annis historiam Illustrium horum Comitum germanicè contexui, XXVI. capitibus inclusam, & è variis autoribus tabulisque collectam. Sed jacet ea in pluteis meis, stertitque securè. Hoc, quod cernis, chronicon (*breviloquium* vocat Author) conscripsit *Wernerus Hack*, Teutlebio-Thuringus, Præpositus olim Monasterii Virginum S. Nicol., cætūs Benedictini, Ise-naci ad portam, ab eodem claustro denominatam. Dicitur enim anno MDIX. MDXV. & MDXVII. *Probst und Vorsteher*. In-scripsit id anno MDXIX. Illustri Comiti **GEORGIO Kirchbergico**, Heroi arte & Marte claro, tunc Præfecto Ducali Saxonico **Crucisburgi** ad Vierrā, quo munere ab anno MCCCCLXXXII.

(Yy) 2

usque

(a) De anno 1518. (b) L. III. Antiquit. Gentilismi & Christianismi Thuring. c. XI, §. 5. p. 172.

usque ad MDXX. fideliter functus est. Jucundum sanè opusculum, variis memorabilibus referitum. Fuere, qui M. Deybicherum pro Autore ejus habebant. Sed *Franciscus Sixtus*, ultimus Canon. B. V. Isnaci, postea Augustanæ Confessioni additus, ita ad Generum suum *Ioann. Himmelium*, Past. tunc Sweinenensem, postea Proto-Diaconum Isnacensem. (c) Werner quidem totum confessit chronicon, & solus ejus autor est. Cùm verò M. Petrus, Cantor Ecclesiae nostræ, ob pulcriorem latinismum apud nos clareret, nec ruditus putaretur in rebus Thuringicis, revisioni ejus commisit ille scriptum suum, ut si quæ addenda aut corrigenda essent, faceret, cunprimis autem stilo subinde ornaret, rebus tamen non mutatis. In quo postremo interdum gratificatus est Werner. Hinc loquacitas aliorum, quasi ipse autor esset, sed non est. Quod ex ore M. Petri tibi dictum esse volo. Ita *Sixtus*. Ego è reliquiis chartaceis Avi mei materni, M. *Francisci Himmelii*, Past. Crucismontani, ejusdemque Ephoriæ Inspect., dum viveret, vigilantissimi, patriæque historiæ amantissimi, accepi, Tibique nunc, B. L., sisto, literis aliquot notisque meis auctum & illustratum. Fruere feliciter! *Ferrarie* Thuringorum Anno Salutis MDCXCVIII.

sup. (c) In lit. 9. Octobr. 1567.

\* \* \*

**I**Llustres semper Comites, celebresque fuere,  
sive togam cupias, seu meminisse sagum.  
Sedes illorum *Kirchberg*, prænobile castrum;  
id varios casus nobilitasse scio.  
Singula congregavit Wernerus: sicubi nox est,  
affundis lucem; dixero: Πάντα καλῶς.

CAROL. ELIAS RHUN, J. U. DR.

s. (xv)

JESUS